

intelligit peccatum propriè dictum. Majori fundamen-  
 ti loco substernimus dictum, *Rom. III. v. 20.* Et verò ne-  
 mo melior, ipso Paulo, verborum istorum interpretis esse  
 potest: quando peccatum illud vocat malum, *quod ipse*  
*oderit; quod inimicitia sit adversus Deum; quod repugnet legi*  
*mentis*, non quidem simpliciter talis, sed Spiritus sancti  
 gratiâ illuminatæ: & quæ sunt aliæ appellationes, quibus  
 hoc peccatum depingit.

XLII. Quod attinet Augustinum, respondemus: nos  
 negare non posse. Doctori illi eximio nonnunquam ab-  
 repto fervore disputandi, tales excidisse locutiones, quæ  
 in sequiorem partem possint trahi. Occasio namque  
 erat. Formabat Pelagius tale argumentum: si concu-  
 piscencia in renatis reliqua, est peccatum, sequitur per  
 baptismum non verè, plenè, & perfectè obtineri remis-  
 sionem peccatorum, nec auferri crimina, sed tantùm ra-  
 di ut radices peccatorum in mala carne teneantur, instar  
 rasorum in capite pilorum. Sed ita sentire, est insignis  
 contumelia in baptismum & blasphemia in mortem,  
 agni DEI: prout objectiones ejus describit August. con-  
 tra duas epistolas Pelagii *Lib. I. cap. 13.*

XLIII. Ex hoc laqueo ut sese extricaret Augusti-  
 nus, dicebat: concupiscentiam in renatis reliquam,  
 non esse peccatum. Cum autem Pelagius argumentan-  
 do instaret: si concupiscentia non est peccatum; ergò  
 tantum adest, ut sit vituperanda, ut potius laudanda. Ex-  
 plicabat Augustinus mentem suam: *baptizatus*, inquit,  
*omni caret peccato, non omni malo*: quod plenius ita dicitur:  
 omni reatu malorum caret, non omnibus malis.

XLIV. Ex mente igitur Augustini considerari pecca-  
 tum potest dupliciter: Vel enim est *ἀνομία* sublato reatu: